



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Margarita Evangelica

Essche, Nicolas van

Coloniae, 1545

De istarum trium partium ornatu. 6

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49323](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49323)

MARGARITAE EVANG.

De istarum trium partiū ornatu. Cap. VI.

**H**OC igitur pacto tres supradictæ vnitates in tribus hominis partibus existunt, in quibus triplex vita perficitur, per Iesum Christum dominum nostrum. Porro quælibet ex hac triplici vita suum ornatum suumque debet habere exercitium. Prima vita & suprema vnitas, est quædam perpetua & simplex introuersio, qua simplex essentia animæ, sese continue immergit & inclinât in diuinam vnitatē, vbi libera & absque medio permanet, & a summo bono amplexatur, ornat & stabilitur in quadam immobili & æterna quiete, libera & intacta permanens, tam a seipsa, quam a cunctis rebus inferioribus, daturq; sibi ipsum esse virtutum omnium, quod est ipsemet Deus. Hic vero exigit animam Deus cum omnibus viribus suis, vocatq; eam in suæ diuinitatis abyssum quæ intra ipsam est, & subita quadam motione omnes vires atque sensus in vnum colligit & cōstringit eos vinculo amoris, attrahitque eos sibi atque perlustrat. Et hinc secundum oritur exercitium, quod est quædam inactio Dei qua sanctissima Trinitas agit in tres vires superiores, omnia que hominis exercitia subtiliat, eisque mille modos & exercitia inspirat, de cognitione videlicet Dei & sui ipsius, et eas totaliter in se trāsformat, facitque eas in se per fidem, spem et charitatem habitare. Ex quo deinceps tertium promanât exercitium in infima vnitare, quod est quidam influxus et continuum desiderium et impulsus ad sequendum nudum crucifixum Iesum in omni  
patientia,

## LIBER I.

patientia, humilitate, obedientia, resignatione,  
& cunctarum exercitio virtutum. Et istud fundat  
hominem in abyssali abnegatione sui ipsius,  
& omnium creaturarum. Hinc nempe Christus  
ait: Mecum egredimini, et feliciter ingredimini;  
eo modo, quo vos ipse praecessi. Tunc demum  
homo instrumentum Dei efficitur ornatus omni  
virtute subiicitque seipsum cum omnibus viri-  
bus suis omnipotenti, sapientissimo, dulcissimo  
& reuerendissimo Deo ceterisque creaturis omni-  
bus ob amorem Dei. Et per hoc introducit &  
solidatur in vita superessentiali deiformi in spi-  
rituali proficiente, & in activa moriente. Istud  
autem magis obrinetur simplici introversione,  
quam alta contemplatione, & citius amorosa  
aspiratione, quam magna exercitatione, & plus  
deuota oratione, quam magno quouis externo  
labore. Ante omnia ergo obseruare debemus  
essentialem introversionem, & amorosam aspi-  
rationem, cum continua iugique oratione. Omne  
namque bonum, & omnis influxus diuinus, abin-  
itu venit a domino Deo, qui intra nos est, nobis  
que magis vicinus existit, quam nos ipsi nobis, et  
eius inactio nobis vicinior est atque propinquior  
cunctis operibus nostris.

Qualiter eradicare vitia & illos loco virtu-  
tes inserere debeamus. Cap. VII.

**P**orro, si ad hoc pertingere velimus vtali-  
ter in ipsas quodammodo virtutes trans-  
formemur, hoc est, in Christum, qui est ipsa  
virtus, mundanda nobis est ante omnia consci-  
entia nostra, & cunctae defectuositates inde sunt  
euellendae, viresque omnes diligenter perscrutan-  
dae.